

**Dissertatio inauguralis medica de venae sectione in hydropicis / Quam
praeside D. Joanne Henrico Schulze ... anni MDCCXXXVI, publice
eruditorum examini submittet Christian. Frider. Hübnerus.**

Contributors

Hübnerus, Christian Friedrich.
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joan. Christ. Hilligeri, [1736]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bbuzvzmk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

VENAE SECTIONE
IN HYDROPICIS

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Octobr. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE ERVDITORVM

EXAMINI SVBMITTET

CHRISTIAN. FRIDER. HÜBNERVS

MERSEBVRGENSIS SAXO

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.



Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

VENAE SECTIONE IN HYDRO-
PICIS.

PROOEMIUM.



Sillum est in medicinae pra-
cticae ambitu auxilium, quod
diuersis iudiciis agitatur, & in
caelum laudibus ab aliis extol-
litur, ab aliis carnificinis & ho-
mini maxime fugiendis annu-
meratur: de venae sectione certe hoc verissimum
deprehendisse omnes debent, qui, non dicam in
medicorum scholis & libris, sed vel inter homi-
nes mediocriter versati sunt. Videas aliquos ma-
gno argumentorum apparatu id agere, ut osten-
dant, nos posse hoc auxilii genere omnino carere,
longeque optime eos agere, qui vel plane super-
fedent hac euacuatione, vel ad illam tardissime
confugiunt, & parcissime eandem vel admini-
strant vel repetunt. Dum hi pro sua sententia de-
clamant & omni conatu depugnant, altera pars

in contraria omnia nos vocat, & persuadere nobis nititur, nullum fere hominem ad conspicuam quandam ætatem sine morbo peruenire posse, si numis venisecæ quotannis identidem appendendis parcere forte velit. Et quum olim sufficere videretur, vt quis morbos a se auertat, si æquinoctiali tempore redeunte venam pertundendam præberet: aliqui longius etiam progrediuntur, & sanis hominibus plures quoque sectiones perpetuandas imperant: vt videas homines in prima lanugine iam tributarios chirurgo, & ex præscripto quidem medicorum, factos, non semel, non bis, sed ter quaterque vitam & valetudinem ab hoc redimere adsuetos. Non Parisiis tantum in cunis vagientium venæ pertentantur & ad sectionem requiruntur: fuere etiam apud nos qui teneram ætatem phlebotomo subiicerent, nescio quantum Iouis incrementum hinc polliciti. Iam in ipsa quantitate emittendi sanguinis determinanda quantum dissident patres medicinæ, vna cum filiis? Videas certe aliquos, qui nullam a venæ sectione utilitatem promittere audent, quam diu vnciæ detrahuntur, libram vnã parum æstimant, plures subinde euacuandas, ad animi vsque deliquium, præcipiunt. Vbi vnã venæsectionem vix permiserit alius medicus, alter bis, ter quater-

ue repetendam serio vrget. Iam inter ipsos, qui in genere concedunt vtilem esse, & aliquando prorsus necessariam, sanguinis missionem, videas aliquando acrius, quam diuersis religionibus ad dicti possent de rebus sacris, disputari, sitne in pede pertundenda vena, an in brachio. Nouissime etiam de morbis dissentitur, qui eam postulent aut facile ferant, prorsusue repudient & ab ea exacerbentur. Quam sæpe aduersa fronte hic pugnent diuersæ scholæ, cognosci potest, si quis februm, præsertim malignarum & pestilentium, curationes velit percurrere. Inter chronicos autem morbos præcipue de hydrope disceptari solet, in quo curando aliqui absolute damnant hoc præsidium; aliqui minus calidi non solum certis circumstantiis illam docent licitam, verum etiam vnice salutarem & necessariam esse contendunt. Atque hoc est quod præsentis labore discutendum statuimus. DEVS, auctor medicinæ, mentem nostram ad ea tantum ducat, quæ ad salutem mortalium sunt proficua.

§. I.

OMnis hæc quæstio, quæ de vena hydropicis secanda agitabitur, diiudicari debet ex consideratione cum ipsius hydropis, cuius vt species diuersæ dantur, sic causæ variæ: tum ex venæsectionis, quem corporibus

nostris infert, effectu vel ad conspicuum aliquem fructum, vel ad damnum inferendum valente. Videbimus primum ea, quæ ad hydropem morbum pertinent. Eius tres potissimum notatas a veteribus species videmus, *asciten*, quando cauum abdominis aquis repletum & extensum est: *tympaniten*, quando flatibus extensum cum intestinis omne abdomen, vbi digitis percutitur, instar tympani resonat: & per omnem corporis habitum semet diffundentem, quem *leucophlegmatian*, itemque hydropem *σπυρὰ σάφρα*, aut *ὑπὸ σάφρα* veteres dixerunt. His adnumerari debent *hydrops vesicularis*, ab ARETAEO iam probe notatus *diurn. lib. II. cap. I.* vbi spacium abdominis replent crebræ vesicæ, humore plenæ: vt & a veteribus quidem aliquibus paucis notatur, sed auorum demum memoria plene descriptus *hydrops saccatus*, ascitæ species, vbi aquæ non in cauo abdominis hærent, sed intra fissum in duas lamellas peritonæum subsistunt, vnde nomen hydropis peritonæi ab aliquibus, quibus NVCKIVS in *adenograph.* præluxit, indi solet. Cognitus est etiam cerebri hydrops, quem *hydrocephalum* vocant, vbi ventriculi sic dicti cerebri limpidissima lymphæ distenduntur: & *pericardis hydrops*: vt & vteri, isque duplex, scilicet ana sarca, quem ARETAEVS *c. I.* diserte notat, quando substantia eius aquis suffusa est, & ascites, quem plures notauerunt: pariterque scrotum suum habet hydropem anasarca, & asciten suum, quem hydrocelen appellant: quas species distinguere docuit RVYSCHIVS in *aduersar. anatomic.* Liceret vtique plures species, hydropeque particulares, recensere, si nunc id argumentum ex instituto esset tractandum.

§. II.

Quum tam varium sit & multiplex malum, oportet nunc dispicere, quodnam sit eius formale, vt in scholis loquimur, seu quodnam istud sit, quo præsente hydropem adesse declarare possimus. Fallor, an ex omnibus veteribus vnus ARETAEVS id curauit, vt intelligamus in quo proprie hic morbus consistat. En verba eius: *non enim in inferiori ventre fluctuans humidum hydropem vocamus; quandoquidem nec ibi vitium est: sed quando ad morbum constituendum societatem ineunt tumor, inflatio, coloris foeditas, talisque habitus in aquam colliquescit, hydrops est & appellatur. Princeps etenim causa est cachexia.* Ex huius itaque auctoris doctrina hydrops est cachexiæ, id est totius habitus vitiiati, vltior corruptio, vt quicquid in bene habitis pingue sub cute fuerat collectum & in cellulis membranaceis asseruatum, sub consistentia duriuscula & densata, nunc ab ea indole deficiat, inque fluidam lymphatico mucidam conuertatur. Unde fit, vt ipso sensu teste, nunc fluctuet & ad partes inferiores prolabatur: quippe hydropis plerumque initia se produnt tumore pedum notabili, qui primo illo principio per noctem, quando ægrotus in lecto decumbit, dissipatur, interdiu autem, quando erectus incedit, rursus ad inferiores partes colligitur, easque in conspicuum modum extollit.

§. III.

Jam proximum est, vt paucis dispiciamus, quid causæ sit, cur loco laudabilis habitus tam deprauatus enascatur, quidque efficiat, vt pro pinguedine bene densa & consistente fluidior lymphatico-mucida colluies in cellulis pinguedinosi colligatur, quin ipsa, quæ forte
prius

prius adfuerat, bona pinguedo colliquescat & in pristinam fluiditatem reuertatur. Optime quidem de hoc argumento scripsisse existimo CAROLVM PISONEM singulari libro *observationum de serosa colluue*, cuius illo capite, quo de hydrope tractatur, *p. m. 297. seqq.* totus in eo est, vt ostendat, humiditatem illam partem esse feri, chyli & sanguinis vehiculi, extra vasa sua elapsi & aceruati. Dispicit idem etiam de modo, quo serum istud elabi possit: quumque diæresin prægressam haud facile liceat deprehendere; &, vt in paucis non excludamus eam, in plerisque certe nulla ratione concipi possit: superest sane, vt vel diapedesin, id est transsudationem, vel anastomosin hic factam admittamus. Quum vir summus potissimum ad hanc vltimam animum adiecerit; eamque, quum de ascite hydrope sermo est, neutiquam sollicitare aut in dubium reuocare liceat: mihi videor graues habere rationes, cur in illo hydropis genere, quod finibus leucophlegmatix aut anasarca continetur, potissimum inhæream diapedesi. Utriusque igitur modi considerationem paucis subiiciam, quoniam ex eo pendeat intellectus dicendorum de fructu venæsectionis in aliquibus hydropis vel speciebus vel temporibus.

§. IV.

Faciemus autem initium a diapedesi confirmanda, id est ab illa vasorum nostri corporis conditione, vt certis circumstantiis sinant per latera sua elabi tenuissimam & fluidissimam contentorum humorum partem. Vasa, per quæ massa humorum nostrorum fertur, vel arteriosa sunt, vel venosa. Arterix crassa sua tunica, qua præditæ sunt, haud facile permittunt fieri transsudatio

tionem seu percolationem fluidioris partis: sed venæ, utpote tenuioribus tunicis præditæ, eo sunt aptiores. Docet autem experientia in omni animalium genere, quod plurima in saginatis animalibus pinguedo adhærescat venis: quod in intestino potissimum recto observari potest, ubi vena hæmorrhoidalis ascendit, circa quam in saginatis animalibus plurima pinguedo hæret: idemque circa venas mesenterii, omenti, quin cordis etiam & ventriculi, notatur. Iam quum pinguedo sit succus nutritius superfluus; eum huc, ubi cogitur, deferri necesse est: vias autem, quibus afferatur, nullas docet anatome, nisi per ipsos venarum parietes.

§. V.

Erit autem exponendum de modo, quo quisque cupiens discat verum esse, quod scribimus, venas transmittere succum nutritium, qui in cellulis pinguedinis coit: quod tanto magis videtur necessarium, quominus in scriptis anatomicorum & physiologorum id doceri inuenio. Quisquis itaque cupit de hac re convinci, is in cadauere hominis, cuius venæ a sanguine euacuatae sunt, qualia sunt decollatorum, venam subclaviam circumiecto filo arcte liget, ac deinde in dorso manus maiusculas venas eligat, quibus tubos commodos aptet. Vbi manus, totumque brachium, ut lex iniectio-
rum requirit, spongiis ex aqua calida probe factum & calefactum fuerit, iniiciatur per tubulos materia ceracea satis ad liquiditatem contemperata & colore viridi, per adiectam æruginem, tinctâ. Is autem teneatur modus, ut venæ, quantum fieri potest, repletae sint, eoque facto prope tubum, circumdato & constricto filo, vena claudatur, ne quid possit effluere. Vbi

omnia refrigerata iam senties, separa cutem brachii & considera pinguedinem, quæ venas proxime ambit. Inuenies illam circumquaque viridi colore tinctam & suffusam. Ne vero existimes æruginem pro tingenda cera assumptam vasa erosisse, vel septica indole sua vel acida, poteris in altero brachio repetere experimentum ceracea materia adiecta pinguedine & oleo terebinthinæ æque distemperata & cinnabari tincta, videbis, vbi recte omnia peregisti, diapedesin non minus, quam in priori iniectione, factam esse, sed cum hac notabili diuersitate, quod tinctura rubra in vena mansit, so umque id, quod album est, in cellulas pinguedinosas influxit. Ratio diuersi successus est, quod ærugo in pinguibus omnino soluta, cum fluidioribus illis eodem, quo ipsa, pergit: cinnabaris autem, quantumuis tenuiter puluerisata, poros istos laterales æque penetrare non valet.

§. VI.

In adducto experimento, quod cuiuslibet ad imitandum erit sane facillimum, illud puto clarissime elucere, esse tunicas venarum nostri corporis aptas ad transmittendum tenuius fluidum, quod nostris humoribus, admixtum est. Ex eo patet mechanica ratio aliquot phaenomenorum, quæ quoad τὸ ἔτι, seu, vt loqui solemus, in factis sunt diu notissima. Sic ab vltimis medicinæ temporibus notissimum est partibus arctius ligatis, vt fit in membris fractis, post repositionem accurate per fascias & ferulas firmandis, satis cito euenire tumorem mollem, vere œdematosum, eumque durare & auferre quamdiu nondum licet ommittere strictam deligationem. Pariter hinc patet cur in valde plethoricis, præsertim si non sufficienter mouentur, tumor pedum vel

spon-

sponte sua eueniat & duret ac augeatur, vt in verum tandem hydropem firmari possit. Nam quum vasa sint repletissima; sub tali autem statu sanguis tardius & non sine difficultate circumferatur, indeque indies spissior & lentior reddatur: ibi locorum potissimum coaceruari eum necesse est, vnde ob perpendicularem ascensum difficilius ad suprema emergit. Id quum maxime fiat in pedibus: illorum venas magnopere extendi, sæpe ad varicosam dilatationem, necesse est, atque sub hoc statu elabi magis fluidum, illumque tumorem generare. Non dicam nunc quanto id magis fieri debeat, quando ad magnam repletionem insuper accedunt alia progressus impedimenta: vt quando in vasis sunt polyposæ concretiones, quando viscera traicienda, vt hepar, lien, obstructa & indurata sunt, aut quando intestina spasmis constricta aut flatibus valde tensa liberum & æquabilem progressum infestant.

§. VII.

Patebit, confido equidem, ex dictis, qui fieri possit & soleat, vt humidiora a sanguine discedant per illum modum, quem diapedesin in scholis ab antiquo dicimus. Nunc oportet alterum etiam intueri, quem CAROL. PISO vnicum admittit, anastomosin. Denotat autem id vocabulum in pathologia medica istiusmodi aliquam meatuum & orificiorum, quæ a natura adsunt, dilatationem & amplificationem, vel extraordinariam, vel toto genere naturæ instituto contrariam, vt vel amplius, quam consuetum est, dimittant, vel aliud, quam quod debebant. Sic tunica narium pituitaria multis & innumeris vasorum excretoriis finibus gaudet, quæ in ordinario quidem statu modicam humiditatem, ad irri-

irrigandam tunicam illam, emittunt: in extraordinario aut morbo copiosam illam pituitam, quam phlegmatorrhagiam vocamus, effluere permittunt, aut prorsus sanguinem in narium hæmorrhagia. Non iam multum disputabimus de finibus inter physiologiam & pathologiam hic regundis: sed illico progrediemur ad videndum, quo pacto fiat vitiosa & morbosa illa anastomosis, a qua fit vt abdominis cauum colluie ferosa sensim impleatur, sicque hydrops ascites generetur.

§. VIII.

Scilicet abdominis omne cauum, qua peritonæo obducitur, omniumque in eo contentorum viscerum superficies, non secus ac totius reliqui corporis superficies, suis gaudet poris, id est extremitatibus vasorum tenuissimis, per quas semper exhalat tenuissimus quidam vapor. Plane necessarium hoc erat a natura sic institui, quum fieri non possit, vt vllus tubulus capillaris ad extremum punctum repleatur, nisi in fine suo aliquo sit foramine tenuissimo pertusus: quod alio tempore latius fuit ostensum. Per hoc itaque admodum lente & minutim in statu maxime naturali emittitur illa, quæ in abdomine sanissimorum animalium semper inuenitur, humiditas: neque puto alias esse scaturigines illius, quæ in thorace & pericardio reperitur: omninoque frustra laborare, qui tanto conatu & molimine glandulas hic singulares aut eruere conantur, aut docere. Iam vero a diapedesi hoc differt anastomosis, quod hæc fiat ex vasorum, & vero quidem simillime arteriosorum, extremitatibus, illa per cæca oscula lateralia ductuum venosorum, a dilatatione ad maiorem raritatem & tenuitatem redactorum.

§. IX.

§. IX.

Quod si igitur fiat a quacunque causa, ut venis iam satis repletis non facile infundi nouus sanguis, ex arteriis reflectendis, possit, maxime quidem vrgebuntur vasa in angulo illo, quo reflectuntur, & emittuntur tenuiores propagines, quas aliqui cum RVYSCHIO extremitates succosas, alii arterias lymphaticas appellant: quumque harum bona pars in superficiebus finiatur; oportet per illarum ampliores nunc factas aperturas copiosius elabi fluidum. Atque si tali rerum statu homo pergat multa assumere & ingurgitare humida, quibus serosa pars humorum augetur: tanto oportet fieri copiosiore excretionem, adeoque hominem colligere plures aquas, quæ ad constituendum asciten faciunt. Erit autem hic euentus tanto certior, si, diutius subsistente illa valorum omnium repletione & extensione nimia; illis interiecti pori resorbentes comprimantur; aut si mesenterii superficies villosa, quæ potissimum resorbendo humido destinata videtur, per quascunque causas, ut spasmos vehementes, profunde adstringentium abusum, constricta nimis fuerit, ut in faciendo officio a natura demandato deficiat.

§. X.

Satis videor dixisse de modo, quo hydrops a nimia repletione fieri & cum illa augescere & confirmari possit. Nec ignoro, nec vlllo modo in dubium reuoco, plures esse vias, per quas mortales ad dirum hunc morbum perueniunt: sed non puto mihi illas hoc esse loco indicandas, quum in illis nemo prudens de sanguinis imminutione cogitaturus sit, vbi abundantia non præsto est. Illud tamen non reticendum videtur, posse in

hydropicis incidere aliqua, quæ non tam morbi principalis intuitu, quam ex aliqua alia iusta causa efficiant necessarium, aut saltem valde suadeant sanguinis detractionem. Sic exempla prostant mulierum, quæ cum hydrope foetum gestarunt. Iam satis est cognitum, quam sæpe accidat, ut gravidis opus sit sanguinis detractione, si foetum corrumpi nolumus. Prævideo plures modos, sed de his commodior erit differendi locus, quando prius de ipsa venæ sectione, quid in humoribus æque ac partibus firmis efficiat, dispexerimus. Quare ad illam nunc considerationem accedemus.

§. XI.

Diximus venæ sectionis, & mediante hac factæ sanguinis detractionis, fructum vel in fluidis perspici & cognosci, vel in firmis partibus. Atque ut primum de firmis dicamus, ipsas potissimum hic intelligimus eas, quæ sanguinem continent, cor, arterias, venas, ab arteriis productas tamquam extremitates & germina, nervos, vasa lymphatica, ductus excretorios. Ut autem intelligatur fructus depletionis, cogitandum ac considerandum est, quid faciat nimia repletio. Scilicet quando in homine accidit, ut ab aliqua causa, v. g. magno terrore, aut febrilium paroxysmorum initiis, totus corporis habitus externus valde stringatur, humoresque intus detineantur, non rarum est videre, quam subito omnis motus cordis & arteriarum cesset, & syncope gravis exoriat, aut saltem magna anxietas & oppletio pectoris atque pulmonum, præ qua nec vocem emittere valent, nec spiritum, nisi ægerrime ducere. Quod ipsa materialis copia, mediante inæquali distributione, facit, id idem videmus, quando aliqua cau-
sa

sa exorta est, quæ humores non nimios, sed modo iusto æquales, valde expandit, vt turgesfacta amplius spacium occupent. Vt si quis à magno calore conclauis aut balnei Laconici totus æstuet, aut potus vel medicamenta valde expandentia ac rarefacientia assumfit, vt vinum aliaque spirituosæ, crocum, ambrata, opiata: vnde somnolentiam, stuporem, crebroque ipsam mortem consequi sæpius visum fuit.

§. XII.

Scilicet dum sub hoc statu elater, seu vis constri-ctiua cordis & vasorum, superatur, vt magnæ diastolæ non succedat vlla systole, fit subita syncope, quæ si non superetur, mors instat; si exigua sit systole & non proportianata diastolæ, fit anxietas, cordis palpitatio, sensuum obnebulatio, ad motum impotentia, quæ, si non mature expeditantur, grauius etiam periculum valetudini struunt. Possunt enim sub hoc statu vasa valde & diutius tensa in aneurysmaticam inæqualitatem reduci, vel prorsus dirumpi: quorum alterum acutum & celeris periculi malum est, alterum inter chronicorum malorum causas non raro repertum fuit. Ne dicam quantum hic status faciat ad secretiones omnis generis interpellendas & suspendendas. Videmus hoc in illa specie ischuriæ, quam GALENVS & RIVERIVS potissimum annotauerunt, & nothæ nomine insigniuerunt: cuius non aliud est, nec expeditius remedium aut certius, quam si sanguinem illico, & iusta proportione euacues. Sed & deficientis aut peruerso modo fientis secretionis fluidi neruei varia specimina sub tali statu animaduertuntur. Causam vbique eandem & vniformem esse apparet.

Nam,

Nam, quum in cerebro corticalis substantia, sanguinem admittens, medullaris substantiæ principiis interiecta sit, modo hac modo altera portione profundius se immergente aut altius prominente: fieri nequit, quin vasa corticalis substantiæ, vltra consuetum modum expansa, premant & comprimant medullares fibrillas, illaque compressione influxum secernendi prohibeant. Parem esse rationem structuræ venarum, docet anatome: vnde parem subsequi effectum vero est prorsus consentaneum. Tanto autem magis in renibus attendi hoc vitium debet, quoniam ad hydropem celeri progressu inducendum valet, nisi cito expediatur. Visi enim sunt ægroti, qui ischuria laborarunt, magnam collectionem feri sub tunica renum propria fouentes: qui folliculus si rumpatur, scaturigo perpetua adest, vnde abdomen inundari & distendi ad verum ascitem valet. Potest etiam hic modus ad oculum demonstrari, quando renem, ligata vena, per arteriam iniecta materia ceracea fluidiori replemus. Nam si vltra modum vrgemus rem & paulo vehementius per siphonem iniicimus, illico sub tunica renum, a substantia eius separata, colligi liquorem, & magna quidem copia, sentiemus.

§. XIII.

Quantum itaque per iustam euacuationem nimix vasorum repletioni detrahitur, tantum loci paratur nouæ contractioni, tam cordis quam vasorum; consequitur etiam vt decursus humorum tanto fiat celerior ac liberior, & vt secretiones, cum excretionibus suspensis aut imminutis, vel nouum principium capiant, vel intendantur liberiusque succedant. Atque id sane est, quod magnus HIPPOCRATES *aphor. 3. sect. 1.* tamquam

quam generale axioma practicum, inculcat, de nimia & ad summum gradum perducta repletione, soluendam illam esse haud cunctanter. Notabilis est ratio quam addit: *vt corpus rursus renutriendi principium capiat.* Quæ ratio ad naturales actiones potissimum respiciens, tanto iustius ad vitales & sanguinis circulum transfertur, quo maius est ab illo sufflaminato & impedito periculum celeris interitus.

§. XIV.

Ostendimus, vt existimo, dilucide, quantum ad hydropem, tam illum, qui anasarca vocatur, quam asciten, momentum afferat magna repletio, cui non succurritur tempestiua & proportionata humorum per sanguinis e vena secta emissionem imminutione. Quo quidem labore iam defuncti nunc accedimus ad ostendendum, quod numquam defuerint ex primi ordinis summæque famæ medicis clarissimi viri, qui affirmarent hydropicis venæsectionem conuenire, quin ab illa curationem etiam incipiendam esse. Atque primo quidem loco hic producimus PAVL. ÆGINETAM, qui *lib. III. c. 48.* de curatione hydropis agens hæc diserte tradit: *Curantes initium facimus in anasarca ab euacuatione per venæsectionem, maxime si ob hæmorrhoidum aut menstruæ purgationis suppressionem conflata fuerit affectio.* Eadem mens fuit GALENO, quam prodit *comment. III. ad Hippocrat. de diæt. acutor.* Ubi HIPPOCRATIS dictum: *Si difficulter spirauerit (hydropicus) & tempus verum fuerit, & simul ætas vigerit, & virium robur adsit, de brachio sanguinem detrahere oportet,* in eundem sensum exponit, vt sit capiendum de hydrope anasarca, ex plethora suborto.

C

§. XV.

§. XV.

Vidimus tres veteris medicinæ antistites, vno quasi ore loquutos pro venæsectione defendenda. Non possum autem quin addam ipsis quartum, non contemnendum sane virum, ALEXANDRUM TRALLIANVM, qui pluribus etiam verbis de ea differit: *Hydropem anasarca per venæsectionem curare aliquando opus est. Fit enim ob multitudinem sanguinis frigidi. Et eius quidem causa, quod frigidus est, non indiget phlebotomia, sed quia sublato nimio subleuata natura, exiguum, quod superest, facilius vincit & corrigit. Non igitur absurdum, sed valde ratiouale est venæsectione hic uti. - - Ergo in hydrope anasarca aliquando præter purgationem venæsectione oportet uti.* Aliquibus deinde interiectis redit hic auctor ad eiusdem auxilii commendationem: *si vero non iecur solum sed & lien ac ventriculus tumorem ac duritiem habeat, confidenter educ, per exiguas missiones, sanguinem, tantoque id magis si vires non prohibeant, & copia sanguinis in venis manifesta, & ægrotus in flore ætatis constitutus sit, nec tempus anni magnum frigus afferat. Ita autem per exiguas missiones detrabere oportet, ut & vires resumantur a quantitate prægrauante suppressæ, & animi defectiones præcaueantur: de ascite autem hydrope & tympanite agens idem auctor, phlebotomiam diserte excludit & prohibet.*

§. XVI.

Non discesserunt ab hac communi scholæ Græcæ sententia Arabes, ex quorum cœtu primum dicendi testimonii causa excitabo HALY filium ABBASI, quem vulgo Abbatem vsurpant, qui *præctic. libr. VI. cap. 36.* hunc in sensum scribit: *Si hoc (hydrops anasarca) menstruorum aut hæmorrhoidum culpa euenerit, administranda*
 ægrotat

agroto erit medianæ sectio, si ætas viresque permiserint. De-
trahas autem sanguinem, quantum opus erit, & pro virium
mensura, paulatim partitisque vicibus, non simul & semel.
Certe in hoc curationis genere multum situm est, cum sic &
vires subleuatae alacriores reddantur, & calor naturalis re-
focilletur. Manifestum quidem videtur hanc doctrinam
omnem fuisse a Græcis, præcipue vero ab ALEX.
TRALLIANO, desumptam, cuius verba, vt intelligi
hoc possit, longo ordine propterea apposuimus reco-
gnoscenda. Nec latum vnguem ab ea sententia rece-
dit AVICENNA *libr. III. Fen. XIV. tract. 4. cap. 14.* vt ver-
ba eius afferre non putem necessarium: sed illud de
hoc viro tantum annoto, quod capite præcedente, vbi
ascitæ hydroptis curationem tradit, nec ab eo absolute
proscribendam venæsectionem, sed initio morbi adhi-
bendam doceat, si ille a sanguinis retentione ortum
habuerit.

§. XVII.

Nihil igitur mirum videri debet, si illi, qui ab A-
rabibus acceptam medicinam, barbaro & scholastico ser-
monis genere incultam fere & horridam, vsque ad re-
nascentium litterarum elegantiora tempora propaga-
uerunt, hydropticis venæsectionem, sub iisdem tamen
legibus & conditionibus, necessariam ac conuenien-
tem declarauerunt. Paucis etiam hic defungar osten-
dendo perpetuo consensu, aliquibus, qui ad manus
sunt, euocatis, iisque præstantioribus. Sic FRANC.
PEDEMONTANVS *in supplem. ad IO. MESVEN. cap.
de hydropt. p. m. 48.* *In phlebotomia, inquit, sciendum, quod
non conueniat, nisi cum fuerit ex causa calida, & ex reten-
tione sanguinis consueti euacuari, & cum signis repletionis--*

Et proinde oportet gradatim Et cum trepiditate procedere in eo,-- Et eius competentia in hypofarca est magis, in ascite minus, in tympanite mediocriter. Similiter VALESCVS de TARANTA philonii sui libro V. cap. 3. vbi curationem hydropis describere incipit, inter canones generales repetit ex Serapione & Auicenna, quæ de venæsectione præcepta sunt, eaque obseruanda commendat. Pari se modo gerit auctor liliæ medicinæ BERNHARD. de GORDONIO *partic. VI. cap. V.* quippe & ipse venæsectionem requirit, si hydrops ex retentione excernendorum fuerit ortus. Rosæ Anglicanæ scriptor IOAN. de GADES-DEN non discedit a prioribus, sed videtur aliquid amplius dicere *cap. de hydrope p. m. 40.* Si sit febris continua coniuncta hydropi, vel apostema vel si natus fuerit ex retentione menstruorum vel hæmorrhoidum, tunc potest fieri phlebotomia parua Et rara. Scilicet adiicit conditionibus, quibus priores concesserant, febrem continuam inflammatoriam.

§. XVIII.

Prodierunt, iam renascentibus litteris, haud parum elegantiores viri & medicinæ laude in primis florentes, qui acceptam per manus Arabum artem, barbaro sermone admodum informem factam, Græcorum ac Romanorum auctorum luculentiori doctrina illustrarunt. Ex his quum laudare quam plurimos liceret, paucos tantummodo attingam. Sic ALEXANDER MASSARIAS in *pract. med. lib. III. cap. 16.* diserte fatetur, se in quæstione de V. S. hydropicis administranda affirmatiuam partem sequi, contra VICT. TRINCAVELLIVM, qui eam, dialecticis quibusdam argutiis, abrogatum iuerat. Minime itaque miror HERCVLEM SAXONI-

XONIAM, qui collega & antagonista eius fuit, ne verbum quidem de venæsectione fecisse, quum *pract. medic. lib. III. c. 32.* ample de hyprode differeret: quum omni tempore æmulatio effecerit, vt, quos minime hoc decebat, aliqua dogmata reprobarent, quia illis placebant, quibus detractum omni modo cupiebant. Sed de Trineauellii argumentis postea dicam: nunc addam plures, qui perpetuum consensum scholæ medicæ propagauerunt. Transiliam autem multos, vt clarissimos tantum producam. His annuero, & suo quidem maximo merito, NICOL. PISONEM, medicum Lotharingum, qui *de morbis cogn. & cur. libr. III. cap. XXXII. p. m. 335.* hæc præcipit: *leucophlegmatia, si ex retentione hæmorrhoidum, vel mensium in feminis, VEL ALIA QVADAM PLETHORICA CAUSA, excitata est, sanguinis detractioe indiget.* Omitto cetera, idque tantum excerpo, quod secandam in brachio venam præcipue commendet.

§. XIX.

Eandem sedisse mentem LAZARO RIVERIO, intelligimus ex *prax. med. libr. VI. cap. VI.* Quid DON. ANT. ab ALTOMARI senserit, discimus ex *libr. de med. human. corp. malis cap. 91. p. m. 366.* Scilicet ante omnem aliam curationem censet V. S. esse adhibendam in brachio, non copiosam quidem, sed sæpius, si opus est, repetendam. Plures indicandi labore me leuauit IO. RHODIVS *analect. in SEPTALII libr. VII. §. 48.* Missis potius præceptis medicinæ practicæ, dispiciemus de obseruationibus practicis, quippe earum exemplaris doctrina tam ad docendum & confirmandum, quam ad dubitationem euellendam, plurimum facit. Præcipue autem referri huc debet casus leucophlegmatici hominis,

minis, qui in HILDANI *observat. Argentorati* recufis pag. 646. legitur. Is scilicet quum dicto morbo ad summum gradum distenderetur, superueniente insuper, ex obstructione neruorum opticorum, cœcitate, exorta tandem larga & copiosa narium hæmorrhagia curatus fuit: ipsa scilicet natura ostendente quam efficax sit nimia repletio ad hydropem inducendum, sanguinis autem detractio certum auxilium afferre valeat, quoties hæc vnica causa, humorum scilicet abundantia, subest. Eodem pertinent casus ibidem obuii duorum asciticorum per V. S. in digitis curatorum. Plures observationes diligenter requirenti, non potuit non mirum valde videri, quam se raræ tales offerant, quæ vel vtilitatem aliquam ab eius vsu visam, vel damnum aliquod ab ea visum ostenderent. Unicam de vtiliter contra medicæ scholæ fere vniuersæ præcepta, administrata in inflatione tympanitica inueterata inuenio in *Vol. I. Act. physico-med. A. N. C.* quæ est CCXLIV. omninoque notabilis videtur. Scilicet femina quinquagesimum annum iam egressa, quum varia aduersus tympaniticam inflationem absque fructu adhibuisset, & circumstantiæ variæ, præcipue autem hæmorrhoidalia molimina, sanguinis detractionem suaderent, vena in pede secta salutem inuenit, & vsu huius præsidii per quatuor deinceps annos vixit ab isto morbo liberrima.

§. XX.

Ostendimus, quantum quidem spero dilucide, quid ad hydropem anasarca faciat magna sanguinis abundantia, ex qua diapedesin euenire necessarium est: quidque eadem valeat ad alterum modum, quo caua corporis impleri possunt, anastomosin. Quumque venæ-lectio

sectio causam euentus illius tollat; eiusdem vtilitatem, quin necessitatem a priori, vt loquimur, comprobauimus. Deinde per auctores medicinæ eundo perpetuum eorum consensum ad tempora nostris proxima euicimus: si illos tantum demas, qui Pythagoreo-Erasistratis opinionibus imbuti omnem in vniuersum euacuationem sanguinis damnabant, aut methodicorum hypothefibus constricti erant. Superesset nunc vt; eos, qui contra Venæsectionem in hydrope adhibendam disputant, pari diligentia enumeraremus. Enimuero quum plerique eorum, quos euolui, tantum nude significent sibi non placere illam, nec rationem dicant; forte etiam non aliam habeant, quam quod non meminerint eam a suis præceptoribus commendari: nolumus opera abuti in dissentientium longa recensione. Eorum tamen, qui aliquam causam indicauerunt, lustrabimus rationes.

§. XXI.

Mentionem supra fecimus TRINCAVELLI, quod argutando elidere venæsectionis vsum omnem in hydropis curatione conatus fuerit. Procedebat autem eius ratiocinatio in hunc modum. Veteres docent V. S. locum habere vbi tria hæc adsunt, morbus magnus, robur virium, ætas idonea. Iam quum omnis hydrops sit magnus morbus, necessarium est vt omni hydropi conueniat V. S. At vero Galenus & veteres in vna tantum specie, anasarca, eam concedunt, in ceteris aut dissuadent aut non valde laudant; oportet ergo esse rationem, qua terreantur. Iam vires debiles nemo iuste accusauerit in asciticis & tympaniticis, quum fortissimis purgantibus destinentur perferendis: relinquitur

tur itaque vt veteres aliud quid intuiti sint , quod aut nesciuit Galenus aut dissimulauit. Id vero nihil esse aliud , præter redundantiam multi frigidi & crassi humoris. Hæc vero quum in leucophlegmatia seu anasarca æque adsit, ac in ascite & tympanite: sequi illud volebant, vt in priori valere debeat, quod in duobus posterioribus ratum habebant: adeoque V. S. vbique proscribenda sit.

§. XXII.

Non huc transcribam quæ MASSARIAS ad hanc obiectionem copiose iam reposuit. Illud dicam, quam semper periculosum sit res ab experientia cognitæ rationibus velle circumscribere, quam diu nondum certi sumus omnia nobis esse liquidissime & evidentissime cognita quoad illam, quæ in omni morbo est, rerum naturalium & præternaturalium implicationem. Boni illi viri, qui circulum sanguinis non magis quam Americam nouerant, & de vasis lymphaticis, lymphæque omni negotio, tantundem nouerant, quam de dynastiis & genealogia principum, qui incolis planetarum imperant, nobis innotuit, omnino commiseratione digni nobis videntur ob theorias ætiologicas, quas sibi condiderunt de rebus maximi momenti, vt pote de vita, sanitate, morbo & morte hominum decernentibus. Equidem non is sum, cui persuasum sit, nos ea iam omnia manibus tenere, quæ ad plenam ætiologicam tractationem harum rerum pertinent: sed illud tamen manifestum puto, pœnitere nos non debere, quantum per anatomen sumus vltius prouecti in cognitione philosophiæ corporis humani. Ab ea igitur edocti sanguinem ex corde propulsum per arterias decurrere;

has

has in venas tandem reflecti, ab angulo autem reflexionis minutissima vascula, quæ arteriæ lymphaticæ audiunt, progredi & tenuissimos humores vltèrius prouehere; horumque aliqua in superficiebus hiare tenuissima apertura, alia in visceribus & partium tenuissimis fibris oberrare, tandemque ex iis emergentia colligi iterum in ductus lympham ad cor reuehentes: ipsas autem venas ita esse comparatas, vt per raram suam texturam effluere sinant, in sanissimo quoque statu, tenuissimum fluidum, quod in pinguedinem densatur: his vtique, inquam, ab experientia suppeditatis phænomenis & notitiis instructi facilius euentum cum ratione combinamus, fructumque venæsectionis colligimus.

§. XXIII.

Scilicet V. S. hydropem, non ab induratione aut corruptione viscerum inductum, sed a nuda superoneratione vasorum ortum, omnem & qualemcunque leuat, auferendo causam vitiose auctæ effluxionis & discessionis lymphæ a sanguine, vnde in partibus carnosomembranosis fit anasarca, in cavitare abdominis ascites, in pectore, pericardio, aliis partibus, particulares hydropes suis nominibus distincti. Et si nuda est abundantia & superoneratio, ad curationem prouide repetita sufficere in anasarca valet; quum superfluum, iam extra vasa elapsum, per easdem vias, quibus pinguedo ad massam humorum redit, ex cellulis pinguedinosi effluere possit: sed quod in cavitatem elapsum est, raro forte & tarde sponte naturæ per vasa resorbentia suscipitur,

pitur, attamen naturæ medicinis idoneis adiutæ ope facilius exhauriri inque vasa recipi poterit. Si adsint causæ præter plethoram aliæ, quibus mederi non licet; leuamentum tamen aliquod ad tempus aliquibus afferet. Si vero eo iam peruenerunt, vt sanguinis boni penuria laborent, eique supplendo viscera ad chylopoëiam destinata non valeant, ibi non solum nullus erit fructus, sed potius certissimum damnum & celerior ad fatalem catastrophem decursus.

§. XXIV.

Vt igitur redeam ad TRINCAVELLII argutationem, iis quidem, qui eminenter plethorici in anasarca aut asciten inciderunt, quamdiu tales sunt, non desunt vtique vires, etsi submersæ illæ non possunt se satis exferere, vnde impotentia ad motum, somnolentia magna, difficillima respiratio, appetitus prostratus adsunt, pulsusque tardus de tardo progressu humorum testatur. Quamprimum autem detractum est, quod vasa nimis vrget, rediens alacritas, omniumque actionum maior facilitas, prodit virium sese explicantium robur. Non est igitur idem casus, de quo ipse loquitur, quando in exemplum proponit tales hydropicos, (quales vtique dantur) qui a deprauata prius chylicatione & sanguificatione eo peruenerunt, vt parum vel nihil probi sanguinis per eorum vasa decurrat. Sed vt his non promittit fructum a venaesectione, sic nec iisdem fructum magnum ab omni & vniuerso apparatu medicinarum anthydropicarum ausim polliceri.

§. XXV.

§. XXV.

Dum hæc scribo, commode se mihi offert casus, quem non prætereundum existimo, suo ipsum loco §. XIX. subiuncturus, si citius obuenisset. Scilicet D. D. NENTERVS in *fundam med. cap. de ascite*, commemorat puerperam plethoricam, ex lochiorum suppressione asciticam factam, cui ob metum suffocationis imminenti vena bis secanda fuit. Testatur id bonis ægræ rebus fuisse factum, monet tamen lectorem ne a casu hoc particulari ad omnes concludat. Equidem facile admitto cautelam, si is est sensus, non debere partem fructum expectari in quouis alio ascite, scilicet tali etiam, qui non fuerit ex causa repletionis ortus. Miror tamen cur antea in genere scripserit, in malo iam prouectiori, quæcunque causa quoque concurrat, ordinarie neque venæsectionem neque scarificationem locum habere. Nam qui vetat aliquid facere, quacunque etiam causa id efflagitante, vetat etiam facere ob causam symptomatis vrgentis, cuius vnus intuitu hic tamen eam vel permisisse vel suasisse videtur.

§. XXVI.

Nihil restat quod mihi valde videatur necessarium addi. Meretur tamen considerationem ille tantum non perpetuus consensus medicorum, quicunque suaserunt venæsectionem, circa locum eius administrandæ. Nimirum omnes in brachio pertundendam venam iubent disertis verbis. Eius quidem rei ratio videri potest, quod in pedibus tumor plerumque maxi-

mus est, isque impedit, quo minus ibi facile possit inueniri vena sectioni idonea. Verum etiam mouere illos potuit, quæ plerumque coniungi solet, magna spirandi difficultas, cui sanguis e propiori loco detractus facilius medetur. Quicquid sit, quod id præcipientes cogitauerunt, facile cognoscitur, quod ob negotium mensium & hæmorrhoidum, cuius semper mentionem iniecerunt, non tantopere, vt nostris temporibus a quibusdam creditur & docetur, necessarium esse putauerint, vt sanguinis missio e pedibus instituat. Sed hæc nunc, pro temporis sat angusta copia, dixisse de venæsectione in hydropicis

S V F F I C I A T.

CORRIGENDVM

Pag. 16. lin. 8. pro *venarum lege*; *venum*;

